

† R. P. Hugo Hahn (1901-1954) (1)

(Prov. Baltimor.)

Hic confrater, *emicans zelo pietate fulgens* necnon singulari Congregationis confratrumque amore, natus est in Germania meridionali (*Stuttgart*) 8 Febr. 1901, et in infantia vel pueritia cum sua familia in Americam Septentrionalem (USA) venit. Ibi scholae nostrae paroeciales Philadelphenses eum ad nostrum iuvenatum North East conduxere ceterasque domos formationis illius Provinciae. Sacerdotalem in anima characterem recepit 16 Iun. 1929.

Licet apostolicae operae desiderio inflammatus, tamen eo ibat perfecta oboedientia, quo Superioris vox eum vocabat. Sic per biennium docuit scientias naturales; per septennium officio Ministri in magna domo studiorum Esopus fungebatur; per duodecim annos assistebat Provinciae Procuratori, cui ipse a. 1952 successit. Proh dolor! eius vires iam fractae erant, et ultimos menses transegit in quodam nosocomio Status Long Island (*Rockville Center*), ubi, optime paratus ad magnum iter in aeternitatem, in pace Christi quievit 28 Oct. 1954.

Funebris servitio in nostra ecclesia Brooklynensi habito Episcopus Auxiliaris Exc.mus Ioannes Boardman interfuit et magnus numerus sacerdotum utriusque cleri. In funebri sermone R. P. Gulielmus Smith defuncti confratris virtutibus solidis merita tribuit encomia.

P. Hahn semper primo loco habebat opera ab oboedientia iniuncta, sed cum Superioris sui consensu pro sua sincera caritate etiam in aliis campis libenter adiutricem praebebat manum; sic aestivo tempore sacello mobili percurrerebat regiones Vice-Provinciae de Richmond, evangelizans paucis catholicis Diasporae Statuum australium. Erat verus fratrum amator, libenter alios exhilarans, neminem laedens. Ex decem historiunculis eius iocosus novem iocabantur de propria persona. R. I. P.

C. H.

---

(1) Cf. *S. Alfonso XXV* (1954), n. 12, p. 174-176.

(1) Cf. *C.SS.R. Chronicle*, December 1954, p. 34.